



**M. Antonii Marsilii Colvmnae, Bononiensis, I. C.  
Archiepiscopi Salernitani, De Ecclesiasticorum Reddituum  
Origine, & Iure Tractatvs**

**Colonna, Marcantonio**

**Venetijs, 1575**

Cap. XXV. Quonam pacto in hæc tota controuersia dominium accipiendem sit, & an recte à pristina illa quatuor partium diuisione, quæ post erecta beneficia planè iam ab vsu recesserit, argumentum sumi ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61495)

ditus: sed illa dominium non admittunt, cum ea, quæ se-  
 mel Deo dicata sunt, alienis usibus applicari non debeant,  
 & bona ecclesiarum Dei sint, ac Christi, & pauperum pa-  
 55 trimonium. † Quicquid enim habent clerici, pauperum  
 est, capitu. quoniam quicquid, 16. quæst. 1. capitu. quod au-  
 tem, 23. quæst. 7. Quæ cum ita sint, existimandum est po-  
 56 titus huiusmodi diuisionem gratia commodioris usus fuisse cõ-  
 stitutam, non quòd dominium daret: † sicut & aliàs gra-  
 tia commodius culture fieri solet, l. cum pater, §, Caius. ff.  
 de lega. 3. commodius enim poterant, ac tutius episcopi,  
 portione sua uti, si reliquæ ab ea se paratæ essent; quam-  
 quam isthæc tunc locum habere possent, si Arithmeticæ  
 fuissent portiones illæ, ac æquales. Quòd si portiones hæ  
 non æquales, sed legales sint, episcopi tamen illam portio-  
 rem arbitramur, quam iura iudicare uidentur, ut ea sit,  
 quæ ad episcopi uitam honeste sustentandam tantum suf-  
 ficiat. Et hæc uisa sunt pro hac sententia magis urgere,  
 quæ cum & ipsa firmitudinem aliquam non habeant, ual-  
 de ambiguum uideretur quid in hac tota disceptatione sta-  
 tuendum sit. Curabimus propterea eius ueritatem, quæ  
 maxima fieri poterat diligentia, inuestigare: Quod ut fa-  
 cilius præstemus, ante omnia putamus ea referenda, quæ  
 ad ueterum temporum conditionem pertinent, ut eorum  
 quæ postea subsequuta sunt diuersam rationem ueluti ob  
 oculos ponamus.

#### ARGUMENTVM.

*Quoniam pacto in hac tota controuersia dominium accipien-  
 dum sit, & an rectè à pristina illa quatuor partium  
 diuisione, quæ post erecta beneficia planè iam ab usu re-  
 cesserit, argumentum sumi possit.*



## R E R V M S V M M A E.

- 1 Plurimi refert cuiusmodi sit, quo cum ineunda sit disputatio de redditibus ecclesiasticis.
- 2 Mens nostra pulcherrima inter mulieres à Salomone dicitur.
- 3 Rerum omnium is dominus est, qui earundem autor & creator fuit.
- 4 Dives aliquis efficitur à Deo, ut bonæ dispensationis præmia consequatur, pauper, ut patientiæ brauijs decoretur.
- 5 Si Dei dominium consideretur, non minus clerici, quàm laycõ rerum suarum dominium habent.
- 6 Quæcunque sunt, idcirco sunt, quia Dei essentiam participant.
- 7 Si hominis imbecillitas consideretur, uix homo appellari potest.
- 8 Solus Christus uerè homo dici potest.
- 9 Nature lege dominiorum distinctio incognita.
- 10 Meum, & tuum, hominum improbitate dici cœptum.
- 11 Leges ad coercendam hominum malitiam primùm institutæ.
- 12 Dominium in proposita quæstione ex legibus esse dimittendum.
- 13 Leges Ciuiles, & Pontificiæ certos dominij quærendi modos inuenerunt.
- 14 Quot modis quæri possit de dominio clericorum.
- 15 Clerici capaces sunt dominij.
- 16 Potuerunt Summi Pontifices certis legibus in clericos reddituum ecclesiasticorum dominium transferre.
- 17 Tota de redditibus ecclesiasticis controuersia ad quid redigitur.
- 18 Ex re legitimo titulo possessa fructus acquiruntur possessori.



- 19 Bona fides etiam sine titulo ad fructus acquirendos suffragatur.
- 20 Beneficijs an insit titulus donationis, sicut feudis.
- 21 Summopere aduertendum est, quibus ex legibus in hac dubitatione argumentum sumatur.
- 22 Veteres canones cum recentioribus non confundendi.
- 23 Canones, qui de quatuor partibus loquuntur, urgent.
- 24 Compendium eorum quæ in primitiua ecclesia seruari circa uictus rationem dictum est.
- 25 Christiani ob nimiam charitatem etiam Iudeos, & Paganos alebant.
- 26 Christianorum persecutiones primis illis temporibus.
- 27 Sedatis persecutionum procellis, certæ leges boni ecclesiasticis dictæ sunt, quibus sancitum est, ut pie ac moderate clerici uiuerent.
- 28 Maximè prospiciendum erat pauperibus, & egenis, qui recens ad Christi fidem conuenerant, ne ex Ydolathitis cogerentur comedere.
- 29 Actici Constantinopolitani Pontificis sanctitas, & liberalitas.
- 30 In Nicæam Orientis ciuitatem aliquando plusquam decem millia pauperum confugerant.
- 31 In magnis necessitatibus si piorum eleemosynæ nõ sufficiebãt, tenebantur episcopi consultis presbyteris immobilia ecclesie bona, uestes sacras, & alia uendere, ut pauperibus subuenirent.
- 32 Priora ecclesie tempora respiciunt sanctorum patrum dicta de rebus ecclesiasticis, ac quatuor partibus faciendis.
- 33 Constitutio quatuor partium non efficiebat, quin reddituum ecclesiasticorum dominium ad alios præter episcopum pertineret.
- 34 Episcopus in quatuor partes, id est, usus, siue fines redditus diuidebat, non autem in quatuor partes Arithmeticas.

Illud



- 35 Illud solum erat clericorum, quod probabili ratione possent consumere.
- 36 Episcopus non in eo, quod ultra quartam, sed in eo, quod synderesi repugnante retinebat, furtum dicebatur committere.
- 37 Episcopus, cum tennes habet facultates, potest nulla pauperum aut fabricæ ratione habita illas totas sibi retinere.
- 38 Quatuor illi fines siue usus bonorum ecclesiasticorum, Episcopi arbitrio erant permisi.
- 39 Nullibi legitur Episcopos furti nomine fuisse damnatos, quod redditus in quatuor partes non diuiserint.
- 40 Multa spectare debebant Episcopi in redditibus elargiendis.
- 41 Preceptum quatuor partium distribuendarum ad nostra tempora non pertinet.
- 42 Post beneficiorum erectionem, quorum antea nomen incognitum erat, & necessitas, & forma quatuor partium sublata est.
- 43 Clericis nulla lex præscripta de quatuor partibus in eorum beneficijs.
- 44 Clerici ceperunt nouo titulo possidere beneficia.
- 45 Post beneficiorum erectionem non debet necessitas, nisi à lege statuta, induci.
- 46 Alex. Tertius in c. 1. de eccl. edif. iubet ad sarta ecclesie tecta seruanda clericos teneri, nec ullam portionis fabricæ mentionem facit.
- 47 Plurimi canones sunt, in quibus pro comperto habetur quatuor partium diuisionem amplius in usu non esse.
- 48 Io. Fantutius, & alij quàm plures grauissimi interpretes sentiunt etiam, quatuor partes exoleuisse.
- 49 Clerici ex nouo titulo, & noua possessionis causa reddituum ecclesiasticorum dominium habent.
- 50 Attentata lite pendente non reuocantur, si possessor titulo su perueniente possessionis causam mutare potuit.

CAPVT



## CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

**V**T demum hac de re tota sententiam nostram explicemus, illud ante omnia animaduertendum putamus † plurimi referre, cuiusmodi is sit, quo cum hanc suscipias disputationē; sapē enim fit, ut quæ eadem per se sunt, uariē tamen ab aliis, atque aliis accipiantur, qui uariē, ac quasi diuersis oculis illa intuentur. Sunt qui ea mentis acie præditi sunt, ut propositas sibi res non secus accipiant, ac si illorum intellectus ab hoc corporis nexu solutus esset, ceu purissimus ille intellectus (uulgo Philosophi agentem appellant) de quo multa Aristo. lib. 3. de ani. † Horum sanē purissimē menti recte illud conuenit, quod tradit Salomon 1. Cantic. cap. 8. *O pulcherrima inter mulieres, si ignoras te, egredere, & abi post uestigia gregum tuorum*: Verē, enim pulcherrima illorum mens est, quæ ne se ipsam ignoret, ab hisce tenebris egreditur, ac sensuum fœditatibus, post uestigia relictis, ad diuinæ naturę contemplationem ita erigitur, soli que ipsi ita iungitur, ut præter Deum ipsum, nihil præ oculis habeat, nihil curet, nihil expetendum arbitretur, ad Deum omnia referat, Dei omnia esse statuatur, Nec proprium quicquam cuiusque esse iudicet, cum omnia à Deo esse profecta ipsique omnia iure optimo deberi animaduertat. Si cuiusmodi aliquis nobis occurat, cum quo de reddituum ecclesiasticorum iure sermo habendus sit, uideor mihi illum illicò exclamantem  
 3 audire, Non nisi impie dubitari posse. † Quin solus rerum omnium dominus sit, quem rerum pariter omnium autorem, ac creatorem esse constat. Itaque perperam nos dominos appellari, quibus nihil, siue ecclesiasticum, seu profanum illud sit, peculiare propriumque esse possit,  
 sed



sed tantum rerum, quas obtinemus, custodes esse ac dispensatores; Vt cum res, & occasio postulet, rectè iusteque, inter quos oportet, illas distribuamus. In hanc sententiam uidetur mihi loqui Basilius, cum interpretaturus uerba illa Luc. Cap. 12. *Destruam horrea mea. & Diuitem auarum sic alloquitur: Si fateris diuitias tibi diuinitus praenuisse, an iniustus est Deus, inaequaliter res nobis distribuens?*

4 † *cur tu abundas, ille uerò mendicat, nisi, ut tu bonae dispensationis merita consequaris, ille uerò brauijs patientiae decoretur? Est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclauis conseruas; discalciati calceus, qui penes te marcescit, indigentis argentum, quod possides inhumatum:* Haec tenus Basilius, cuius uerba, uti uerè aurea, D. quoque Thomas adnotauit, 2. 2. quaest. 32. argum. 5. ad secundum. Nō sanè ausim inficiari, quin piè, sancteque existiment, qui ita sentiunt. Sed intrepide tamen affirmo, quaestionem hanc nostram, minimè in hunc sensum accipi posse, quæ

5 de reddituum ecclesiasticorum iure proponitur. † Etenim si rationem illam attendimus, quod Deo Opti. Maximò accepta omnia referamus, non clericis potiusquam laicis rerum suarum dominium denegandum erit. Neque enim in Deo distinctio ulla adhibenda est, ut minus harum, quàm illarum rerum dominus dicatur, cum æquè

6 ab illo omnia pendeant, † ac quaecunque sunt, propterea sint, quod illius ipsius essentiam participant. Quare diuinitus Hieremias: *Coelum, & terram ego impleo.* † Quid enim, quaeso, homini tribuemus, si attentè eius & miseriam & fordes, & naturæ imbecillitatem consideremus, cum uix sit, ut homo sui ipse dominus, aut uel homo, quidem dici possit. Vnde Regius ille vates, qui certè, si alius unquam, hominis nomen promeruisset sese hominem appellare non audet. is enim Psal. 21. *Ego autem, inquit, sum uermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.*

† Cogi-



- 8 † Cogitabat ille nimirum uerè solum illum hominem dici posse, quem indicat nobis Ioan. Cap. 19. Cùm, inquit; *Ecce homo seruator noster.* Vt ergo ad institutum tractationis noster cursum reuertamur, facile, ut dixi cõcessero, hominem, qui uix sui ipsius dominus sit, multominus ceterarum rerum dominum dici posse, si solam ipsam Dei naturæ legem spectemus. † Quo circa nemo ignorat primis illis naturæ humanæ quasi incunabulis, quorum uestigia uix in sanctis hominibus postea retenta sunt, dominiorum distinctionem incognitam fuisse. † Si quidem tunc demum, cum à naturæ simplicitate declinatum est, fuit hominum improbitas, ut meum, & tuum dici cõeperit, quod sanè rerum discrimen ante illud tempus ignorabatur, ca. dilectissimis, 12. quæst. 1. Eadem ratione factum est, quæ admodum & Gregorius in præmio Decretalium animaduertit; † ut cum ex dominiorum distinctione iurgia quotidie orirentur, magisque ac magis habendi cupiditate homines incenderentur, leges cõdere necesse fuerit, quæ assiduos contentionum impetus reprimerent, ac coercerent, cap. factæ sunt autem, 4. distinct. † Ex hac porrò rerum serie, quam propterea haud in consultò proposui, facile, ut arbitror, perspicere est, non ex sola aut diuinæ, aut humanæ naturæ ratione hoc, quod quærimus in præsentia, metiri nos oportere, sed ex legibus ipsis, quibus dominia distincta, ac mei, tuique, differentiam inductam esse, docuimus. † Vt uerò ciuiles leges certos modos statuunt, quibus dominia acquiri possint. S. singulorum cum mult. sequen. Inst. de rer. diuis. tot. titu. ff. de acquiren. ser. dom. l. Traditionibus, C. de pact. l. Clauibus, ff. de contra hen. empr. atque alijs multis in locis, ita minimè dubium est, quin & leges Pontificiæ, certam dominij acquirendi rationem inducere potuerint. † Qua ex re fit, ut cum duobus modis hoc quæri possit, quod de clericorum dominio

uoca-



- uocatur in controuersiam, nempè possit ne clericus esse  
 dominus reddituum ecclesiasticorū, & an verè dominus,  
 fit, primum illud ita pateat, ut de altero tantum disputa-  
 re necesse sit. † Neminem enim futurum arbitror, qui  
 iam negare audeat, in clericos dominium cadere posse:  
 cum potuerit sacrorum canonum autoritate in eos do-  
 minium transferri, cumque ij, qui aliquando id nega-  
 re ausi sunt, Concilio Agathensi damnati fuerint, ut & su-  
 pra nos adnotauimus; Maneat hoc igitur, atque in hac to-  
 ta tractatione ut firmissimum retineatur, clericos ipsos,  
 haudquaquam dominij incapaces esse; † Maneat itidem  
 illud, potuisse canonum conditores nimirum Summos.  
 Pontif. certis legibus in clericos reddituum ecclesiastico  
 rum dominium transferre. † Ad id certè redigitur contro-  
 uersia, ut uideamus quid leges ipsæ statuerint, & an bene-  
 ficiorum titulum eiusmodi esse uoluerint, ex quo fructuū  
 quos ex beneficio clericus perceperit, sibi dominium ac-  
 quirere possit: † est enim compertissimum, ex re, quam  
 quis legitimo titulo possideat, semper fructus acquiri, ubi  
 persona possessoris haud incapax sit. † Quin uerò satis  
 constat solam hac in re possessori bonam fidem suffragari,  
 etiam si à non domino, interdumque etiam si absque  
 tit. rem possideat, l. Bonæ fidei, ff. de acquir. rer. domi. l. ex  
 diuerso, in prin. ubi Accursius, ff. de rei uend. l. sed & si si-  
 ne, §. consului, ff. de peti. hæredi. l. ult. ff. pro suo. Verum ad  
 hoc in præsentia confugere necessarium non est; † in eo,  
 enim potissimum uersari debemus, an titulus beneficij,  
 hanc possit acquisitionem inducere, quasi Principis bene-  
 ficientiam, ac liberalitatem contineat, sicut & ijs benefi-  
 cijs, quæ feuda appellamus, donationis titulus inest, qui  
 si minus proprietatis dominium transfert (utilis, ac di-  
 recti dominij distinctionem uti minimè necessariam hic  
 omittā) at certè acquirendorum fructuum præbet faculta-  
 tem;



tem. Iam (ni fallor) uerum totius huiusce quaestionis cardinem tenemus; hinc enim proculdubio illa pendet, cuiusmodi beneficiorum titulus sit. Tituli autem efficacia legum autoritate aestimatur; itaque illud unum spectandum est, quid hac in re tota leges ipsae statuerint. ¶ Verum, ut hic quoque omnis plañe tollatur æqui-uocatio, etiam atque etiam animaduertendum censeo, quibus ex legibus argumentemur. Non idem semper Ecclesiae status fuit, uaria temporum, uaria personarum conditio extitit. Itaque, ut aliis multis in rebus, ita in bonorum ecclesiasticorum iure mirifice uariatum est. ¶ Quo fit, ut qui ueteres canones, nulla temporum ratione habita, uelit cum recentioribus confundere, maximas huic toti materiae tenebras inferat. Atqui certè hac ratione maximè per necessarium esse duxi, ut ab ipso huius tractationis exordio, per complura capita hanc temporum seriem accuratè per censerem; & quid quaque ætate seruatum, quidquæ immutatum fuerit sigillatim ostendere. uidebam enim ad propositæ quaestionis ueritatem obtinendam, quantum huius uelut historiae cognitio esset profutura. Præmunien- dum ergo in primis est, ut dixi, non omnes canones, qui hac de re loquuntur, ita accipiendos esse, ac si quod in ijs traditum est, nostris temporibus statueretur; cum prospicuum sit, multa pro temporum conditione fuisse olim constituta, quæ mox temporum ipsorum ratione immutata, immutari necesse fuerit. Ex hoc uerò illud inter cætera colligimus, quod in hac tota disputatione ad eò magni momèti est, ut qui hoc non animaduertèrunt, ob hanc rem maximè à ueritatis semita aberrauerint, ¶ nimirum illos canones, qui de quatuor partium diuisione loquuntur, nõ modò non ita urgere, ut à nonnullis existimatum est, sed nec etiam ad rem nostram magnopere pertinere. Quod quamquam ex ijs, quæ diximus, intelligi potest, dum uere

Sig

N rum



rum temporum historiam recensuimus: tamen hoc quoque in loco nonnulla dicam, ac superiora omnia, quasi uerborum compendio concludam, ut ex hoc intelligatur, primo quidem nullam hoc tempore eius diuisionis rationem haberi oportere, deinde non ex ea necessario redditum ecclesiasticorum episcopis dominium denegari: quod ubi fecerimus, atque hac ratione ad sententiam affirmatiuam, quae clericis dominium concedit, quasi aditum aperuerimus, tum multo accuratius, & rationibus, & autoritatibus eam ipsam

24. sententiam comprobabimus. † Vt ergo missa faciamus, quae de Aegyptijs, Romanisque itidem Sacerdotibus superius diximus, quibus ex publico uictus suppetebat, ea tantum in memoriam breuiter reuocanda sunt, quae ad Christianae ecclesiae & exordium, & progressionem pertinentia praefati sumus. Primum omnium satis constat, caput ipsum ecclesiae Christum, proprijs rebus usum fuisse: quod sane maxime consentaneum fuit, ut in eius uitam tanquam in lucidissimum speculum posset intueri, qui cum aliarum uirtutum omnium, tum praesertim moderationis ac temperantiae in propriarum rerum usu exemplum quaereret. Illo uero in coelum reuerso, haud absimilem uiuendi rationem Apostoli secuti sunt, quos quidem propria possidere dubitari non oportet, cum perspicuum sit, eos, qui ad Christi fidem conueniebant, ante pedes Apostolorum sua proijcere consueuisse: posteaquam uero Apostoli in humanis esse desierunt, propria itidem bona habuit ecclesia, quorum possessio communis erat. Quod si proprijs rebus ecclesia caruisset, illud euenisset incommodi, ut non modo peregrinis necessaria suggerere Sacerdotes non potuissent, sed fideles ipsi ab infidelibus, ac Paganis, Christiani a Iudaeis uictum quaerere coacti fuissent. sed quia propria bona Christianorum cetus obtinebant, nec Paganis, Iudaeisque molesti erant, & illis ipsis, quoties opus erat,

mi VI

pic



- 25 piè ac liberaliter subueniebant. † Itaque Iulianus Apostata, Christianorum inuidens laudi, quos contemptus gratia, Galilæos appellat, dicitur suos aliquando hisce uerbis increpuisse; *Turpè nanque est, ut Iudæos quidem non abijciant, sed potius nutriant impij Galilæi, et suos pariter, nec nõ et nostros; nostri verò nostrorum solatio deserantur.* ut ecclesia
- 26 stica refert Histo. lib. 6. cap. 29. † Hic uerò consideradū est, protinus ecclesiæ calamitates, ac Christianorum persecutiones exortas esse: cū enim non deessent uiri optimi, qui ad Christi fidem quotidie confluerent, bonaque sua in communi conferrent, ex hoc fiebat, ut parentibus ac propinquis odio essent. itaque dictu credibile est, quàm multa dissidia inter liberos, & parentes, inter fratres, aliosque arctissimo necessitudinis uinculo coniunctos quotidie orirentur, & quàm multi eo solo nomine, quod Christi fidem sequerentur, bonis omnibus spoliati, proprijs domibus propè nudi eijcerentur. Neq; uerò a priuatis solùm, sed quod multo infestius erat, ab Imperatoribus, magistratibus, Præsidibus, aliisq; qui cum Imperio ubiq; erāt, miseris Christianis minę, terroresq; undiq; iminebant, atque in ijs fugandis, uexandis, trucidandis nullum crudelitatis genus prætermittebatur; proscribentur bona, optimi sanctissimiq; uiri ad carceres rapiuntur, his manus, illis pedes, aliave membra abscindebantur, discerpebantur alij, alij igne, ferro, cruce, uariisq; multis, & inauditis modis crudelissimè necabantur. Eò paulatim rem deduximus, ut quorsum hæc fusiùs fortasse quàm videatur fuisse necesse, à nobis relata fuerit, iam quivis facile perspicere possit. Faciebat nimirum tanta hæc Tyrannorum in Christianos crudelitas, ut dum pro se quisque sibi sedulò caueret, in eas potissimum Ciuitates incredibilis Christianorum multitudo conflueret, in quibus tutius degere se posse arbitrarentur, ibique Episcoporum



fidei ac protectioni sese committerent. Verùm sicut torrentis alicuius impetu sedato, qui antea fractis repagulis fortè erupisset, ac circumstantes agros latè occupasset, solent agricolæ, qui prius consternati huc illuc aufugerant, animum recipere, ac paulatim aggeres munire, castella conficere, atque id genus alia parare, quæ tutiores illos in posterum reddere possint; non secus Christiani homines, infestantium Tyrannorum rabies tandem aliquantis per sedata, cum non modò quietè uiuere cœpissent, sed & opes paulatim acquirere, magnaquæ apud optimū quem in existimatione essent; † nihil tam necessarium esse iudicarunt, quàm ut certis legibus, ijsquæ præsertim, quæ ad bonorum ecclesiasticorum distributionem pertinerent, rerum suarum statum stabilirent, remquæ publicã sanctissimis institutis confirmarent. Hisce verò legibus is potissimum scopus propositus erat, ut piè ac moderatè clerici uiuerent, ac ne debito subsidio fraudarent pauperes, quorū incredibilis tum erat multitudo. Antea enim quandiu inter Christianos extitit communitio, uix ab aliis pauperes dignoscebantur: † Posteaquam uerò ab ea uiuendi ratione recessum est, cum multi quotidie ad Christi fidem egeni, & pauperes sese conferrent, in hanc potissimū curam incumbendum fuit, ut illis ipsis oportunè subueniretur, ne cum maximo totius ecclesiæ dedecore de Ydolythytis comedere, ac relicta ueritatis luce, ad tenebras redire, idolorumquæ sese seruituti subijcere cogerentur: quod cauendum in primis fuisse Nicolaus Lyranus animaduertit, Deuteron. 14. Itaque tempore mox procedente, diaconos, & œconomos in ecclesia fuisse cōstitutos legimus, qui gratiam, & communicationem ministerij in Sanctos exhiberent. sic enim inquit Paulus, 2. Corinth. cap. 8.

*τὴν χάριν κοινωνίαν τῆς διακονίας* qua de re latè Frater Michael Medina, lib. 1. de origin. sac. hom. cap. 25. & sequē. Neque uerò



uerò soli cuiusque ciuitatis episcopi confugientem eò  
 Christianorū multitudinem opibus subleuare cogeban-  
 tur, sed & aliarum Ciuitatum episcopi in ea præsertim lo-  
 ca in quibus maximè opus esse intelligebant se se munifi-  
 cos ac liberales præbebant, ut ex Nicephoro intelligitur  
 29 lib. 14. cap. 24. quo loci refert † Atticum Constantinopo-  
 litanum Pontificem, uirum sanctitate, & doctrina apud v-  
 niuersas Orientis regiones percelebrem certam corona-  
 torū summam ad Calliopolium Nicææ presbyterū misit  
 30 se; † siquidem ad Nicæam Orientalem Ciuitatem tantus  
 undique quotidie Christianorum concursus fiebat, ut am-  
 plius quàm decem millia pauperum eò aliquando conflu-  
 xisse, compertum sit: cuius rei ea quoque causa fuit, quòd  
 uel si Christianorum uexationes superiores aliquãdo ces-  
 sasset, certis tamen temporibus mutatis præsertim Ro-  
 mani Imperij rebus, alię atque alię subinde oriebantur:  
 qua propter Christi fideles ubique terrarum sedulò facie-  
 bant, ut pro se quisque quantum in ipso esset, & quantum  
 facultatum suarum ratio pateretur, egentibus fratribus,  
 31 certatim subueniret. † Quòd si nec priorum hominum e-  
 leemosynæ, nec episcoporum bona, quæ illi omnia ex of-  
 ficio in hunc usum tenebantur impendere, pauperum ali-  
 mentis satis fuissent, bona ipsa ecclesiæ cuiuscunque tã-  
 dem generis illa extitissent, consultis presbyteris aliisq;  
 ecclesiasticis uiris, ab episcopo uendebantur, nimirum he-  
 reditates, domus, agri, quin & uasa sacra diuinis rebus de-  
 stinata, uestes aliæque Sacerdotum ornamenta, ut ex ea-  
 rum rerum precio egentibus Christianis victus suppete-  
 32 ret. † Iam uerò, qui horum ipsorum temporum conditio-  
 nē attentè considerauerit facilè intelliget, quorsum spe-  
 ctent illi canones, atque illa sanctorum patrum præcepta  
 (omnia enim propemodum hæc tempora respiciunt)  
 quibus clerici ita iubentur ex bonis ecclesiasticis, paupe-



ribus subuenire, quasi solis pauperibus omnia debeantur. exigebat enim tunc Christianæ reipublicæ status, ut præcipua quædam pauperum ratio haberetur. Quo circa non mirum est, si Syluester cum bona ecclesiastica in quatuor partes diuidi debere statuit, suam pauperibus partem assignauit; cuius constitutionis si quis uim, & effectum ad ea quoque tempora referat, quibus beneficia constituta sunt, totam is proculdubio tēporū seriē ac rōnē cōfunder. Et in hunc sensum prædictam constitutionem, & si qua alia eiusmodi iura sunt, accipi debere, rectè etiam aduertit Caieta. super. 2. 2. quæst. 183. ar. 7. & in responsi. ad primam quæstio. in fin. Et quia res magni momenti est, non erit alienum ipsius Caietani uerba hîc apposuisse: *Videtur, inquit, quòd in casu necessitatis pauperum, posset portio Ecclesiæ fabrica non multum indigentis debita, pro pauperibus dispensari: & hoc uidetur Augustinus seruasse, qui fabricis uacare horrebat: Et paulò inferius, Et crediderim ego esse uerum, quia iura illa ad statum antiquum Ecclesiæ, in quo uiuebant clerici in communi directè respiciunt.*

- 33 † Verùm quidquid hac de re fit, illud præterea aduertendum cenſeo, quod & suprâ polliciti sumus, non efficere hanc constitutionem, ut propterea possimus affirmare ecclesiasticorum reddituum dominium ad alios, quàm ad Episcopos pertinuisse: siquidem Ecclesiæ cuiusque bona ipsius Episcopi potestati permittebantur, qui partium illarum modum pro ipsius arbitrio statuere poterat, ac prout res exigebat, hanc minuere, illam uerò augere. Atque huc spectat, quod ab Apostolis constitutum est. Res ecclesiæ in Episcopi esse potestate, cap. præcipimus, 12. quæst. 1. Sic & Concilium Antiochenum, cap. 25. *Episcopus, inquit, Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem*, cap. Episcopus habeat, ea quæst. & cap. † Itaque Episcopus eo ipso, quòd quatuor partes statuere iuebatur, quatuor sibi
- fines



- fines uidebatur proponere, hoc est, in quatuor usus res ecclesiasticas impendere, non autem arithmeticè, ut ita dicam, æquales illas partes constituere; ac propterea uidemus & canonum, & sanctorum patrum uerba in usum ipsum sonare, ut in cap. Res ecclesiæ, ibi non in alios, quàm in præfatos usus, &c. quod & ibidem indicat glo. dum inquit, † illud solum esse clericorum, quod probabili ratione consumunt: quibus uerbis non obscure ostendit clericis non totam integramq; quartam fuisse debitam, sed illud tantum, quòd probabili ratione consumere debuissent. Quod ergo reliquum erat, uel si clericorum quartam respicere alicui forsan uideatur, tamen non ad aliud, quàm ad Episcopum pertinere poterat, quod & de aliis quartis eodem modo affirmandum est. † Quo circa Episcopus non in eo, quod ultra quartam suam, sed in eo tantum, quod synderesi repugnante sibi retinebat, ex prædictis regulis fecisse furtum dici poterat. Neque ab hoc sensu abhorrent uerba D. Thom. quodlib. 6. quæst. 7. art. 12. ad tertium, in princ. *Vnde secundum Canones, inquit, bona ecclesiastica debent diuidi hoc modo, ut aliqua pars cedat in usus pauperum, & aliqua pars in usus ministrorum, & cultum ecclesiæ.* Atque ita debere hoc totum accipi, sentit etiam Caieta. super, 2. 2. quæst. 185. ar. 7. in respon. ad secundam quæstio. uerfi. Et subtiliter perspiciendum est.
- 37 † Vbi cum tenues Episcopo facultates sunt, ei non grauatè permittit, ut nec pauperum, nec aliorum habita ratione totas illas sibi retineat, quàmuis opulento, ac diuiri id ipsum minimè concedat. At certè, nisi bona hæc omnia Episcopi arbitrio permissa essent, non posset Episcopus alienas partes eo sibi nomine retinere, quòd illis ipse indigeret. Quòd si iustè hoc casu id facit, certè ubi non hæc, sed alia iusta, uel fortasse etiam iustior causa extiterit, iure optimo hanc sibi facultatem uendicabit. Etenim iam



dictum est, non arithmeticè hâc partium distributionem accipi debere, ut quorâ, ac certâ illâ partes dici possint: sed idcirco de quatuor partibus haberi mentionem, quod quatuor fines Episcopo deberent esse propositi, ad quos

38 bonorum ecclesiasticorum usum dirigeret. † Quæ sanè usus ratio cum Episcopi arbitrio permessa sit, eius ipsius dominio minimè aduersatur: neque enim certis regulis arbitrium illud erat ita coangustatum, quin pro rebus, causis, & personis uariari posset, ut perspicuè docemur,

39 argum. cap. & si quæstiones, de Simo. † Quocirca nullibi reperies Episcopos furti nomine damnatos, quod quæ pauperibus, clericisve, aut fabricæ debuerint, in proprios usus conuerterint; Licet illos sæpe admonitos legamus, ut tum sanctè, & moderatè, tum prudenter etiam illo ip-

40 so arbitrio uterentur. † Multa enim spectare illos oportebat, siue propriæ ipsorum, siue aliorum portioni modum statuerent, nimirum dignitatem propriam, & conditionem, loci naturam, regionis consuetudinem, reficiendarum ædium sacrarum necessitatem, in pauperum personis non egestatem modò, sed egestatis causam, tum & illorum familiam, atque honestatem. Quod cum aduerteret D. Thom. in loco præalle. prudenter fecit, & cautè, ut non quartam partem diceret, sed aliquam partem in pauperum usus cedere. Quid enim si ipsis quarta satis non fuisset? cur non uel ex propria, uel ex fabricæ portione posset aliquid detrahere, unde eorum egestati plenius consuleret? Liquidò iam constat, ut opinor, non eiusmodi fuisse diuisionem illam quatuor partium, quæ clericorum dominium infirmaret. † Verùm haud magnopere hoc nobis præsidium in præsentia necessarium est, cum satis superq; sit, quod & supra ostendimus, præceptum illud partium harum constituendarum temporibus illis tantum conuenisse: ad nostra uerò tempora, quibus ecclesiæ

status,



status, ratioque mutata est, haudquaquam pertinere.

- 42 † Quod, ut ita esse clarius perspiciatur, considerandum est, exinde constituta esse beneficia, quorum antea uel nomen ipsum fuerat incognitum, beneficiis uerò constitutis coepisse clericos habere unde uictui necessaria pararent, at propterea pristinae illius distributionis necessitatem, atque formam fuisse sublatam. Neque uerò aut pauperum, aut ecclesiae portiones obicias, quarum ad hoc necessitas uideretur mansisse. † Etenim si priuatis clericis, quibus beneficia assignabantur, nullam legimus praescriptam fuisse legem, qua cogentur certas in partes beneficiorum redditus diuidere, non uideo cur potius Episcopi lege hac adstringi debuerint, aut cur debuerit haec mutatio ad reliquos potius clericos, quam ad Episcopos pertinere: † siquidem nouus tum status, noua ecclesiae forma, noua uiuendi ratio esse coepit, nouo titulo coeperunt ecclesiastici omnes ecclesiastica bona obtinere: † postquam mutationem, quod non expressim lege aut consuetudine inductum est, nos minimè ad necessitatem reuocare debemus; aut non permissum id existimare, quod prohibitum nullibi reperimus, argu. l. Nec non. S. quod eis, ff. ex quib. cau. maio. cum facile fuisset Canonum conditoribus, si quas uoluissent, in constitutione beneficiorum conditiones adiicere, † ut uideamus ab Alexandro III. fuisse factum, in cap. i. de eccle. aedifi. ubi statuit. Quicumque beneficium ecclesiasticum obtinent, eis facta tecta ecclesiae esse adiuuanda, nec de quarta portione, quae fabricae olim debebatur, mentionem ullam facit: cuius sanè portio, uel aliarum, si, ut antea fuerat, tunc quoque distincta ratio fuisset, de sacris tectis nihil speciatim statuere opus habuisset, ut pote quibus ex portio illius assignatione satis superque prospectum fuisset. Porro autem, sicuti non ab Alexandro, ita nec ab aliis post illud tempus, mentionem



nem de quatuor partibus ullam factam esse reperimus, licet praelatos uti caeterorum uitiorum, sic & tenacitatis atque auaritiæ nomine sæpe reprehensos esse uideamus.

- 47 † Quin uerò canones quàm plurimi sunt, in quibus pro comperto habetur, quatuor partium diuisionem non amplius in usu esse, ut in cap. fin. de his, quæ fi. à maio. par. capit. Vbi certè non fuisset necesse, ut quilibet Canonicus ecclesiæ restorationi partem aliquam suorum reddituum deputaret, quemadmodum ibi à maiori parte capituli statutum esse asseritur, si pristinum illud ius adhuc obtinuisset, quo fabricæ quarta portio debeatur. Quod ipsum perspicuè colligitur, & ex cap. uni. circa fin. ut eccle. benefic. sine dimi. confera. ubi Archiepiscopus ille Mediolan. reseruatis sibi prouentibus, alteri beneficium contulisset, reprehendit illum Summ. Pont. non eo quidem nomine, quòd uel pauperes, uel clerum, uel fabricam suis portionibus fraudasset, id quod certè fecisset, si portionum illarum diuisio fuisset adhuc in usu: sed ea tantum de causa reprehendit, quòd ex discreto potius iudicio, quàm ex affectu carnali debuerit ecclesiasticum officium, & beneficium in personam magis idoneam conferre. Cuius rei ratio illa est, quia, ut diximus, post constituta beneficia, ita rerum, possessionumque status, & forma mutata fuit, ut ueteres illæ leges exoleuerint, quæ ad priorem ecclesiæ statum pertinebant; ita factum est, ut quatuor partium distributioni locus esse desierit. Mecum autem hac in re sentiunt summi, ac grauissimi interpretes: quorum autoritatem, uel si maximè res dubia esset, sequi tamen deberemus, argum. l. minimè, & l. interpres, ff. de legib. faciunt no. per Docto. præsertim Felyn. in cap. i. de treug. & pac. Ita post Host. & Innoc. in cap. fin. de his, quæ fiunt à maio. par. cap. Sentit † Io. Fantutius doctissimus, ac summæ autoritatis interpres, cuius commentaria manu scripta in  
Vaticana



Vaticana bibliotheca afferuantur, in cap. quatuor, 12. que  
 stio 2. Ita etiam Panorm. in cap. 1. de ecclesi. ædifi. cui ad-  
 stipulatur Dec. consi. 118. num. 5. versi. Hodiè tamen non  
 49 fiunt. Craue. consi. 116. nume. 1. † Sed ne diutius in re a-  
 perta commoremur, iam tandem concludamus paucis,  
 post constituta beneficia, reddituum ecclesiasticorum do-  
 minium nouo ex titulo nullæq; legi obnoxio in clericos  
 translatum fuisse, ac propterea illos concessione Apосто-  
 lica tutos esse, ita ut ad illorum restitutionem nullo iure  
 compelli possent, quasi hoc sibi titulo possessionis causam  
 50 iustè mutauerint. † Ac fanè persimili illo exemplo con-  
 firmari hoc potest, quòd uidemus in eo, qui lite penden-  
 te possessionem adeptus fuerit, attentata non reuocari, si  
 is titulo superueniente, puta breui Apostolico, possessio-  
 nis causam mutare sibi potuerit, ut tradit Socin. in l. 3. S.  
 ex pluribus, de acq. poss. & in consi. 132. uol. 2. Put. in re-  
 collectis decisionibus, quæ manu scriptæ circumferun-  
 tur, decis. 17. lib. 3. ut lit. penden.

## A R G V M E N T V M.

*Ecclesiasticorum reddituum uerè dominos esse clericos uarijs  
 rationibus demonstratur.*

## R E R V M S V M M A E.

- 1 *Nulla probabilis afferri potest differentie ratio inter distribu-  
 tiones quotidianas, ac ceteros beneficiorum fructus.*
- 2 *Distributionum quotidianarum dominium ijs, qui diuinis  
 intersunt officijs, acquiritur.*
- 3 *Argumentum à contrario sensu non sumitur, ubi absurdum  
 aliquod sequeretur.*
- 4 *Priuationem omnem habitus antecedit.*
- 5 *Integræ distributiones clericis assequerentur, non ea tantùm,  
 qua*